



**F**erdinandus natus est patre Philippò rege Hi-  
 spaniarum, ac matre Iohanna regina Portuga-  
 liæ, Anno salutis millesimo quingentesimo tertio,  
 die decima Martij. hunc Maximilianus Cæsar eius  
 auus & tutor, unâ cum Carolo fratre, Hadriano  
 Theologo ( qui postea pontifex creatus ) educan-  
 dos tradidit. Cum autem Carolus potissimum ar-  
 morum studia amplecteretur, Ferdinandus pacis  
 erat cupidior. Itaq; factum ut literas natura amaret,  
 atq; ijs percipiendis fratrem superaret. Postea uerò  
 Maximiliano anno 1519 mortuo, cum fratre auitas  
 hereditates diuisit, atq; Carolo occidentalibus re-  
 gnis relictis, ipse Orientalia sibi reseruauit. Itaq; pri-  
 mo Archidux Austria, dux Carinthiæ, Stiriciæ, comes Tyrolis, &c. constitutus  
 fuit. Deinde Annam Ludouici regis Vngariæ sororem lectissimam puellam  
 uxorem duxit, atq; anno 1521 nuptias celebrauit. Cum etiam Ludouicus rex à  
 Turcis succubuisset, ex antiquis & nouis Austriacorum & Vngarorum fœ-  
 deribus & pactis, Ferdinandus rex Hungariæ declaratur, anno 1525. Erat tum  
 Iohannes Vayuoda Ciliæ comes apud Vngaros in magna authoritate, atque  
 effecit ut & ipse à factiosis quibusdam rex eligeretur. Itaq; Ferdinandus co-  
 pijs collectis per legatos Vngariam ingreditur, & Vayuodâ toto ferè regno  
 exiit. Cum ergo uideret Vayuoda sese Ferdinando imparem, Turcæ auxiliũ  
 implorauit, atq; sese eius tutelæ submisit. Interea quoq; uicesima quarta Febr.  
 anno millesimo quingentesimo uicesimo septimo Bragæ Bohemorum, atq;  
 eodem anno in Alba regali Hungarorum rex confirmatus coronatur. Id cum  
 Solymannus percepisset, infinitis peditum & equitum copijs Vngariam in-  
 trauit, atq; tota ferè ditione occupata, Vayuodam regem restituit. postea ulte-  
 rius progressus, Vuiennam Austriæ obsidere, atq; Ferdinandum proprijs re-  
 gionibus exuere proposuit. Verũ Ferdinandus, Philippo Palatino in urbe  
 præfecto constituto, Vuiennam egregiè defendit, atq; Solymannum magna  
 turpitudine in glorium in Traciam redire compulit, anno millesimo quingen-  
 tesimo uicesimo nono,